Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

AD CHORIN

tamquam iudeis ut iudeos lucrer. his qui sub lege sunt quasi sub lege essem cum ipse non essem sub lege ut eos qui sub lege erant lucrifacerem. his qui sine lege erant tamquam sine lege essem cum sim lege dei non essem sed in lege christi essem ut lucrifacerem eos qui sine lege erant factus sum infirmis infirmus ut infirmos lucrifacerem. omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos. omnia autem facio propter euangelium ut particeps eius efficiar. scitis quod hi qui in stadio currunt omnes quidem currunt sed unus accipit bravium. sic currite ut comprehendatis. omnis autem qui in agone contendit ab omnibus se abstinet. et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant nos autem incorruptam. ego igitur sic curro non qui incertum. sic pugno non quasi aerem verberans. sed castigo corpus meum et in servitutem redigo. ne forte cum aliis predicaverim ipse reprobus

Nolo enim vos ignorare fratres quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt et omnes in moyse baptizati sunt in nube et in mari et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt et omnes eundem potum spiritalem biberunt. bibebant autem de spiritali consequente eos petra. petra autem erat christus. sed non in pluribus eorum beneplacitum est domino deo. nam prostrati sunt in deserto. hec autem in figura facta sunt nostri ut simus non concupiscentes malorum sicut et illi concupierunt. neque idolatre efficiamini sicut quidam ex ipsis. quemadmodum scriptum est. sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere. neque fornicemur sicut quidam ex ipsis fornicati sunt et ceciderunt uno die xxiiii milia. neque tempteamus christum sicut quidam ex ipsis tentaverunt et a serpentibus perierunt. neque murmuramini sicut quidam eorum murmuraverunt et perierunt ab exterminatore. hec autem omnia in figura contingebant illis. scripta sunt autem ad correctionem nostram in quos fines seculorum devenerunt. itaque qui se existimat stare videat ne cadat. tentatio nos non apprehendat nisi humana. fidelis autem deus est qui non patietur nos tentari super id quod potestis sed faciet cum tentatione etiam proventum ut possitis sustinere. propter quod karissimi fugite a idolorum cultura. ut prudentibus loquor. vos ipsi iudicate quod dico. calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio sanguinis christi est. quoniam unus panis et unum corpus multi sumus. omnes quidem de uno pane et de uno calice participamus. videte israel secundum carnem. nonne qui edunt hostias participes sunt altaris. quid ergo dico. quod ~~ergo dico~~ idolis aliquid immolatum sit. aut quod idolum sit aliquid. sed quae immolat

ad chorin

gentes demonis.